



N. 66. 51.





ORATIUNCULA,  
*De*  
Summa virtute  
**MANSUE-**  
**TUDINE.**

Exercitii gratiâ conscripta & habita,

*In*

*Collegio Oratorio præstantissimi & excel-*  
*lentissimi Viri,*

**JACOBI MARTINI, Logicesac**

Phil. Pract: in Academia celeberrima  
ad Albim. P.P.

*à*

**JOHANNE JOHANNIS F. RESENIO**

Hafnia-Dano. 15. Maij.

WITTEBERGÆ.

Ex Officina Johannis Richteri.

---

*Anno M. DC. XVI.*





V I R O

*Reverenda dignitate amplissimo, Pietatis  
Zelo ardentissimo,*

**JOHANNI PAULINO**

**RESENIO**, SS. Theologiæ D. Ejusdemque in  
Regia Academia quæ Hafniæ est P. P; Necnon  
Ecclesiarum Sielandicarum Superintendenti.

*vigilantissimo, Parenti suo Charissi-  
mo, digneq; colendo:*

*In quale quale debita observantia ac gratitudinis τεμπή-  
ριον, hoc Lingua Latina Tyrocinium,*

Dedicat ac Consecrat

Filius Subjectissimus,

**Johannes Johannis F.**

**Resenius Danus.**





ORATIUNCULA.  
DE MANSUETUDINE.

**N**ter alia multa, præclara quidem, omniq;  
memoriâ digna, Romana Eloquentia Antistitis  
Ciceronis dicta ac prolata, haud scio an quic-  
quam præclarius sit eo, quod de virtute ad He-  
rennium scribit, in hac prorumpens verba: In virtute  
omnes benè vivendi rationes sunt collocatæ, propterea,  
quod ea sola, in sua sit potestate, reliqua verò omnia  
subjecta sint fortunæ dominationi: Hanc sententiam,  
ab homine quidem Ethnico prolatam, si acriori mentis acu-  
mine penitus considerem, quanta ejus sit veritas, quanta  
dignitas, quanta pietas, satis, ac ne satis quidem admirari  
possum.

Totum namq; hoc universum inspicere, ac paulò al-  
tius intueri si lubeat, nonnè omnibus fortunæ telis totum il-  
lud expositum, experimur? *Α* Μυρονόσµω enim ut in-  
cipiam, quantoperè eum fors verset, quis est qui nesciat?  
Hic certè in omnium calamitatum Barathrum præcipita-  
tus est, quum veteris serpentis caliditate deceptus, à crea-  
tore suo Deo Opt. Max. defecit nefariè, Divinam, ad quam

A

condi-



conditus erat, imaginem, lapsu isto, nullo non tempore deplorando, turpiter deperdens. O Miseriam, miseriam! Qui antea justitiâ indutus, exquisitâ scientiâ instructus, ac perfecto velle præditus in honore stetit, ille nunc cum ignominia, & despectu, injustus, scientiâ omni spoliatus, voluntatis bono privatus miserrimè jacet.

Antea homines, secundum imaginem Dei, filios, hoc est, Sanctos, justos, & ab omni labe alienos, genuissent: nunc vero secundum imaginem propriam, injustos scilicet, ac peccati pravitate adeò corruptos propagant, ut homines ipsum peccatum, religionis Christianæ restaurator ac propugnator B. memoria Lutherus, appellare non dubitaverit: unde Vates canit.

Gens hominum fertur rapidis  
Obvia fatis, incerta sui,  
Stygias ultro querimus undas.

Quare etiam Poëtarum flos Sophocles, hominem appetere, ut diu in hac miseriarum valle versetur, quum vix horam malo & fortunæ telis destitutam, heic habeat, turpè admodum judicavit.

Ad dona vero alia naturalia, quibus Deus hominem cumulatisimè ornavit, si descendero, illanè ab hujus mali corruptione sarta tecta existimemus? Ab minimè gentium.



tium. Si enim vel singula examinare, ac ad trutinam veritatis expendere voluerimus, unum, imò ne vix unum quidem inter omnia, liberum inveniemus; Paucula tamen ex tam multis, quo res hac clarior fiat, in praesentiarum perpendemus.

A Vita autem initium faciemus: Illa certè brevissima est, & fugacissimum ejus tempus: rerum humanarum adversis flatibus inquietum & procellosum pelagus: vari & vix homini accessibiles portus, scopuli undique innumerabiles, inter quos difficilis & prorsus ambigua est navigatio: Fingatur enim aliquis tam benigno sydere, tam propitiâ fortunâ, tam denique favente Deo, iter hoc ingressus, ut nihil ei possit asperum, molestumq; contingere, (rem impossibilem ac inauditam seculis fingi jubeo) nec ideò tamen quia periculum abest, aberit metus. Et propterea non foret incommodum, (modò nostri res esset arbitrj,) si nautas cum prudentia navigantes imitemur. Sicut enim illi in equore suspecto clavum flectere solent circumspècti, diuq; ante solis occasum vela submittere; Sic in vita portum peteremus, & adhuc florenti aetate, atq; animo virenti & valentibus membris mori eligeremus; priusquam eò perventum sit, quo tantùm vita longior perducit, ad ultimas scil. angustias senectutis, inter quas aetati quidã, & vixisse dolent, & mori metuunt &c. Deniq; quid velint,



*Et quid nolint nesciunt; adeò ut meritò de vita mortalium cum Petrarcha dici possit, quod inter res & fortunas hominum, incertosque & subitos rerum motus, illà nihil fermè fragilius, nihil inquietius inveniri possit. Sed de vita satis, Formam jam paucis inspiciemus. Illam autem pulcherrimè describit Poëta his verbis.*

*Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,*

*Fit minor Et spatio carpitur illa suo  
Nec semper viola, nec semper lilia florent,*

*Et riget amissa, spina relictà rosà  
Et tibi jam venient cani, formose, capilli,*

*Jam venient ruga quæ tibi corpus arent.*

*De Divitiis porrò, quid in medium proferam? Nonne ista facillimè, incendio, naufragio, alijsq; fortune casibus amittuntur? ut qui antea ditissimus, omnium fieri possit egentissimus: quod præter exempla infinita, quotidiana, prob dolor, experientia, testatum facit. Imò, ut Chilonis verbis utar, nihil aliud quam thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatisq; suppeditatio sunt divitiæ.*

*De Potentia quid dicam? Illa nonnè perpetua? Absit, absit Et in omnem æternitatem absit: Potentissimos enim non raro Reges, Principes, ut Et alios in bello ab hostibus capi, carceribus includi, miserrimèq; tractari non obscure*  
*vide-*



videmus, ita ut qui antea potentissimi, nunc à vilissimis con-  
temnentur, omnibus ludibrio habeantur; adeò ut veritas  
inde, dicti Poëtæ Comici & Romani, urbano, ingenioso  
& faceto genere jocandi referti, ad oculum elucescat, quum  
inquit:

Fortuna humana fingit arctatq; ut lubet,  
Me, qui liber fueram, servum fecit, ex summo in-  
finum,  
Qui imperare consueveram, nunc alterius imperio  
obsequor.

Imò, ut in summam cuncta contraham, cum Menandro  
exclamare necesse habeo, τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς  
πολλὰς ἔχει: i. e. Mortalia omnia mutationes multas  
habent. Unde etiam pingitur Fortuna, nunc Rotulæ, nunc  
Sphæræ insists, quo eam & Dominam rerum, & instabi-  
lem esse indicatur.

Cum Virtute autem contrario modo se habet; Illa cer-  
tè Fortune dominationi prorsus exempta: Illa amissæ ima-  
ginis Dei, qualiscunq; recuperatio est ac principium: Illa  
hominem Deo conjungit: Illa morte non absimitur, verum  
post funera vivit: Quid multa? Hæc Forma illa pulcher-  
rima, quam tempus non permutat: Hæc veræ Divitiæ, qua  
neq; incendio, neque naufragio, amittuntur; Hæc Potentia  
illa quæ bello amitti non potest: Sed altissimis defixa radici-  
bus, nunquam labefactari, nunquam loco dimoveri potest:

Hæc



*Hac in tenebris lucet; Hac in tempestatibus quieta est; Et,  
ut verè loquitur Poëta:*

*Non est virtute melior possessio,  
Non enim submittit se, neq; pecuniis,  
Neq; securitati, neq; adulationi vulgi,  
Sed virtus, quo frequentius ea uti libet,  
Eo magis crescit, perfectiorq; fit.*

*O virtus, igitur ardua, laboriosaq; generi humano, pul-  
cherrima vitæ nostræ inventio! Tuam ô virgo ob venusta-  
tem etiam mori optabilis habetur mors, & labores vebe-  
mentes ac indefessos perpeti; Tu pectori fructum, auro, pa-  
rentibus & lenissimo somno potiozem inseris.*

*Et, quum tanta res sit virtus, quæ omnes alias res hu-  
manas multis parasangis antecellat, more laudabili in  
Scholis usu receptum est, ut crebrò de ea dicatur, quo splen-  
dore ejus perspecto cognitoq; juniores ad eam excolendam  
excitentur ac inflammentur.*

*Quocirca etiam, quum mihi proposuerim, bujus tempo-  
ris spatio, hoc de loco ad vos verba facere, (non certè ali-  
cujus vel eruditionis, vel Eloquentia, quam nullam in me  
prorsus invenio ostentanda gratiâ, sed tum fructu & utili-  
tatibus quæ inde emanant, dulcissimis, tum exemplis præ-  
clarorum adolescentum, qui antea ex hoc loco dixerunt, in-  
stigatus ac permotus,) non alienum ab horum nostrorum  
temporum moribus duco, si aliquam virtutis speciem, quum  
de*



de eâ in genere dicere nimis foret prolixum, explicandam ac exponendam in manus sumam. Omnes autem acriori indagine profequens, **MANSUETUDINEM** præ cæteris, de consilio Clarissimi Excellentissimiq; Domini Præsidis, eligendam existimo.

Etsi verò, tum impositum meis humeris onus, tum magnam meam imbecillitatem paulò considerans penitius, horrore totus capiar, quòd adolescens adhuc, ingenio plusquam mediocri, eruditioneq; quàm exiguâ præditus, ac in Oratorum Scholis minus exercitatus, huic loco me committere, & de re gravissimâ, ad viros gravissimos, juvenes etiam generis splendore, virtute ac eruditione ornatisimos, verba facere non dubitarim: Hac tamen cogitatione ferè perculsum, erigit nonnihil, viresq; mihi recuperat, humanitatis, nec non singularis vestra, quam haudquaquam vulgarem ergâ illos, qui antea ex hoc loco dixerunt, deprebendi, benevolentia recordatio.

Sed quomodo navem hanc mihi demandatam quam optimè gubernabo, auditores? Quò proram dirigam? Parum abest, ut maris profunditatem consilij me expertem reddere exclamem: Quod enim alijs in mari amplissimo usu venire videmus, ut, quò se vertant, non inveniant, idem mihi in Pelago hoc vastissimo accidere animadverto; Quocirca ne nimium à portu remotus, ad loca incognita digrediar, vela presenti ventorum aspirationi accommodabo, ac navis

B

cursum



cursum ita informabo, ut qualem qualem Virtutis hujus  
**MANSUETUDINIS** naturam ac dignitatem asse-  
cutus, ad portum propositum maturè appellam. Interea  
nobis, tu Pater Domini nostri Jesu Christi, Gubernator  
optime, ut adesse non dedigneris, intimis animi suspirijs roga-  
mus, nostramq; navigationem ita gubernare, ut ad portum  
præfixum, nominis nimirum tui gloriam, nostrumq; usum  
salutarem, perveniamus.

Quum totum hoc universum, cum omnibus, quæ in eo à  
Deo Ter Opt. Max. cōdita ac creata sunt, intueor, in summā  
rapior admirationē, homines, creaturarū omnium Reges,  
Duces imò Faces à Deo cōstitutos, munus sibi à Deo cōcre-  
ditū, cæteris tamen omnibus suarū nihil partiū omittētibus,  
tam negligenter exequi. Si enim vel ipsos Angelos conside-  
rare allubeat, illos turpi minimè indulgere otio, sed suum  
continuò Deum laudando, Sanctus, Sanctus, Sanctus est  
Deus noster Zebaoth, dicendo; officium præstare compe-  
rimus. Ad Cœlum, quod supra nos est, oculos si eleveamus,  
illud multiplici suo, attamen justo ac prorsus admirando  
motu Cyclico, sublunaria perpetim agere cernimus. Ad Ter-  
ram verò si oculos demittamus, illam suum quotannis ferre  
fructum animadvertimus. Aurum præterea, Argentum,  
Stannum, Plumbum crescere, Plantas vivere, Pisces na-  
tare, Aves volare, Bestias gradi, Araneam nere, collige-  
re Formicam, omniaq; operari harmonicè, clarissimè per-  
spicimus. Homines a. in medio manere spectatores, torpe-

re



re, stertere, in bono suo otari, strenuè in malo cum deceptore suo Diabolo negotiari, immemores Dei, sui ipsius, sua Generositatis, sua Humanitatis, sua Potestatis, Pulchritudinis, Harmoniae, Autoritatis q̄, imò ceterorum suâ causâ conditorum planè oblitos, ita ut committenda omittant, & omittenda committant, adeò ut exclamare necesse habeamus, ô cæcæ hominum mentes, ô pectora cæca, quæ semper nituntur in vetitum cupiunt q̄ negata!

Admirari autem, inquam, satis non possum præsertim quum, & aperta Dei mandata, ut secundum virtutes vivant, plurima extent, multa etiam tam Sacra quam Prophana illorum, qui virtutes coluerunt, obvia sint exempla: præclara illarum cultoribus præmia, graves contra negligentibus pœnæ, summa præterea illarum Facilitas, ac Suavitas, quæ homines ad virtutis amorem inflammare poterunt omnibus in aprico sint. Neq̄ hæc solum in Genere, verum etiam in Specie de singulis Virtutibus tradita invenimus. Quæ & nos in laudem hujus, de quâ jam dicturi sumus, virtutis pro modulo ingenij adducemus.

Primum autem quod attinet, summum hujus Virtutis elucet Decus, ex Divinâ autoritate, quæ nõ sine gravissimâ cõminatione hanc Virtutẽ à nobis præstari exigit, his verbis. Nec pater vester cœlestis remittet vobis, nisi remiseritis fratribus delicta sua; En verba clara, En verba gravia ac seria. Si hæc quem movere nequeãt, quid illum moveat, vix ac difficulter invenies. Quid queso clarius, quid gravius



dici potest? Idem enim est ac si dixisset Evangelista; Si Mansuetum ac bonum tibi cupis Deum, summa flagitat necessitas, ut te vicissim erga fratrem ac proximum, & quidem si vel in te septuagies septies peccaverit, sua illi errata condonando, nec ut Sol super iram tuam descendat, permittendo, Mansuetum exhibeas. Si autem centum denarios, quos tibi tuus debet conseruus, remittere graueris, nec tibi talentorum, quæ Deo debes, decem millia remittet Dominus, sed tortoribus, quousq; extremum reddideris quadrantem, (impossibile factu) excruciantum tradet. Alius namque est status Mundi, alius Regni cœlorum: Mundus satisfactionem & solutionem postulat, sed Regnum cœlorum gratis omnibus agentibus pœnitentiam peccata remittit. Qui igitur vindicta cupiditate ardentes proximo suo condonare nolunt, ac illegitimo modo satisfactionem flagitant, nequaquam Regnum cœlorum possidebunt.

Sed dicat aliquis: probas quidem Mansuetudinem à Deo mandatam ac præceptam esse, an vero quis illam præstare valeat, dubitari adhuc posse videtur: Apage homo nefande, in Sacris ut & Prophanis nullatenus versate: Si enim illas ante hac vel tantum inspexisses, exempla eius quàmplurima inuenisses, quibus perspectis ac relectis omnem, procul dubio, ad extremos Garamantes dubitationem relegasses.

A Sacris autem ut auspiciam faciam, Nonnè illustre Mansuetudinis ac Clementiæ exemplum in ipso Deo  
nobis



nobis offertur? Hic ex immensâ suâ misericordiâ, quâ tanta, quantus ipse est, remittit & condonat nobis omnibus, magna ac multiplicia peccata, ut quidem gratis nullâ habitâ operum nostrorum ratione, ut Psalmista canit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in Spiritu ejus dolus. Singuli, ut testatur chirographum Legis, cordibus nostris inscriptum, decem millia talentorum, quibus solvendo haudquaquam sumus pares, Deo debemus: Hoc tantum as alienum peccatorum nostrorum. Deus, contra rigorem Legis, solutionem flagitantis, gratis nobis remittit. O quanta hæc Dei Mansuetudo! quanta Misericordia! quanta Benignitas!

In Filio deinde, Domino nostro Jesu Christo, quanta quæso non vulgaria Mansuetudinis exempla se produunt? Nullum certè Majus Humilitatis ac Mansuetudinis exemplum excogitari potest, quàm quod is, Deus aequalis Patri, ad eò se humiliaverit, ut propter Generis humani immania delicta, de cælo descenderit, humana naturæ massam sibi adunaverit, fratribus similis in omnibus, excepto peccato, factus fuerit, Patriq; obedientem ac obsequentem se præbuerit, ad mortem, mortem autem Crucis. O Mansuetudo verbis vix efferenda! O Humilitas nullo non tempore cogitanda, expendenda! Postquam verò in Mundum jam venerat humani generis Restaurator, quanta quanta Humilitatis in eo illuxerunt exempla? Hic ne quum à Judæis &



*inimicis nominis Dei persecutor appellaretur, quum Samaritanus ac Magus vocaretur, animo commotus illis maledixit? Nullo modo, sed quum maledictis incesseretur, non regeffit maledicta; quum pateretur, non minatus est, sed reliquit illi omnia, qui iudicat justitiam, omnibus exemplum in tota vitâ imitandum relinquens, sicut ipse inquit: Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Talem humanitatem in mundo quis jam inveniet? Imò talem Mansuetudinem quis sequitur, quis sectatur?*

*Quum autem in Mundo hoc, annos suos vixisset, ac veram ad cœlum viam docuisset, ultimum suum Hierosolymam iter peragens, quantum nobis humanitatis reliquerit exemplar, quis est, qui nesciat? Illo tempore, quæ de ipso à Propheta Zacharia cap. 9. prædicta fuerant, dum inquit: Exulta filia Zion, Jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus, venit tibi justus Salvator: ipse pauper vehitur super Asinam, & super pullum filium Asinæ, eventu comprobata sunt.*

*Passionis ac Mortis ejus, quanta tandem exstent Mansuetudinis exempla, quid opus, multis ut explicemus verbis? Præ omnibus enim Scripturæ de eâ re effatis, vel unico hoc Prophetico contenti pro tempore erimus, quod sic habet: Excruciatus est, & afflictus quia voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducitur, & sicut Agnus coram tondente se obmutescit, ita non aperuit os suum. Quæ verba nobis planè ac plenè Mansuetudinem*



dinem Christi summam, summam, inquam, in passione sua ob oculos ponit, quum Agnus fuerit in Passione, Agnus in Morte, Agnus in Sacrificio. Præterea verò cruci jam affixus altâ voce clamavit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciant: Quo exemplo quodnam possit majus ac apertius excogitari, aut unquam inveniri, non video.

Nec dissimile exemplum occurrit in Stephano, qui, quum ab hostibus suis, intolerabilibus prius oneratus mendacijs, lapidibus obrueretur, consimilia verba altâ voce pronuntiavit, dicens: Act. 7. Ne statuas illis hoc, quia nesciunt, quid loquantur. Cui non absimilis Moses, quem virum supra omnes in terra homines mitissimum scriptura asserit: Cui etiã Ahalverus, quem nobis satis copiosè describit ac depingit Esther cap. 15. similem se exhibuit.

Sed ut Sacra alia exempla missa faciamus, ad Prophe-  
na jam navibus atq; quadrigis properabimus. Illorum autem quum tantus sit cumulus, ut, si singula enumerarem, dies me potius, quàm oratio deficeret, temporis habitâ ratione, paucula tantum allegabo.

Ante omnia autem humaniss. ac clementissima Senatus Romani acta referam: Inter quæ hoc cæteris non posthabendum, quod Legatis à Carthaginensibus ad captivos redimendos emisiss Romam advenientibus, confestim pecunia nondum numerata juvenes numero bis mille, Septingentos quadraginta tres, à quibus antea summopere bello afflictati, ingentique clade affecti fuerant, reddiderit.

Quo



*Quo accepto beneficio, legatos in summam admirationem raptos arbitror, ac in talia solutos verba: O Mansuetudinem ac Munificentiam Gentis Romanæ, Deorum benignitati æquandam! O nostram etiam Legationem supra vota felicem! quod enim beneficium nunquam sperassemus, accepimus.*

*Quid de ejus, erga Syphacem Numidiæ Regem quondam opulentissimum, humanitate, dicam? Nonne illum captivum in custodia Tiburz extinctum, publico funere efferendum, ac vitæ donationi honorem sepulturae adiciendum censuit!*

*Nec prorsus dissimile Senatus Romani Mansuetudinis exemplum erga Perseum habemus, quem quum Abba, in qua custodia causa relegatus erat, vitâ privasset, per Quæstorem à se emissum honorificè sepeliri curavit, ne reliquias Regias inhonoratas jacere permitteret.*

*Quid de L. Cornelio Consule urbis referam? Ille nonne primo Punico bello capta Olbia, pro quo fortissimè annuo spatio dimicarat, quum Ducem Carthaginensium vitâ luce privasset, ejus corpus è tabernaculo suo, summo cum honore extulit? non dubitans hostis exequias ipse celebrare.*

*Nonne etiam M. Marcelli Clementia ac Mansuetudo, illustre & memorabile exemplum haberi debet? Hic postquam bello sibi Syracusanos subegerat, in arce eorum consistens, urbis aliàs opulentissimæ, tunc verò afflictissimæ,*  
*casum*



*casum lugubrem cernens, non lacrymulam saltim, sed multas cum singultu lacrymas effudit, adeo ut à nemine, nisi cui antea singulariter notus, de facie cognosci posset.*

*Nonnè Q. Metellus Celtibericum in Hispaniâ gerens bellum, quum urbem Centobricam obsidione cinxisset, & jam admotâ machinâ partem muri vastationi obnoxiam dejecturus videretur, propinquam victoriam humanitati posthabuit? Quum enim Rhetogenis, qui ad eum transierat, filios, Centobricenses machine ictibus objecissent, ne pueri in conspectu patris, crudeli mortis genere consumerentur, (quanquam ipse Rethogenes fieri negabat, quo minus per profusionem sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam Mansuetofacto et si non unius civitatis mœnia, omnia tamen Celtiberorum urbium animos cepit, effecitq̄, ut ad redigendas eas in Populi Romani ditionem, non multis sibi obsidionibus opus esset.*

*Nonnè etiam Africani posterioris Mansuetudo speciosè lateq̄ patuit? Qui, quum in suam potestatem redegisset Carthaginem, circa Siciliae civitates literas misit, ut ornamenta Templorum à Pœnis raptâ, per legatos recuperarent, inq̄, pristinis sedibus reponenda curarent.*

*Nonnè etiam L. Paulli, in tali genere laudis memoria extat? Qui quum Persen, parvi temporis momento captivum ex Rege, ad se adduci audisset, occurrit ei Romani Imperij*



perij ornatus ornamenti, volente q̄ ad genua procubere dex-  
trâ manu erexit, & Græco sermone ad spem exhortatus est.

Sed ut Cn. Pompeii Magni, C. Julii Cæsaris, M. An-  
tonii triumviri, ut & aliorum Romanensium exempla jam  
brevitatis ergo volens sicco pede præteream, morum etiam  
Alexandri Magni præconium facere lubet, cujus ut infini-  
tam gloriam, bellica virtus, ita præcipuum amorem Cle-  
mentia ac Mansuetudo meruit. Hic enim jussus sumere sup-  
plicium à maledico, tale regerebat responsum: Regium est  
benè facere, & malè audire.

Nec planè dissimile est exemplum Augusti Imperato-  
ris, qui hortanti Tiberio, ut puniret calumniatorem, rescri-  
psit: Satis est, mi Tiberi, quum hoc assecuti simus, ut  
maledicat nobis, quum malefacere non possit.

Nec planè contemnendum Mansuetudinis exemplum  
Pisistrates Atheniensium aliàs Tyrannus sevisimus: Hic  
enim, quum adolescens quidam, amore Filia ejus Virginis  
captus, in publico obviam sibi factam osculatus esset uxori,  
ut eum capite multaret, suadenti respondebat: Si eos, qui  
nos amant, interficimus, quid his faciemus, quibus odio  
sumus? Minimè digna vox cui adijciatur, eam ex Tyranni  
ore manasse.

Æquè mitis erat animus Pirrhi Epirotarum Regis.  
Quum enim audivisset quosdam Tarentinorum in convi-  
vio parum honoratum de se sermonem habuisse, accersitos  
ad se qui ei interfuerant, percontatus est, an ea quæ ad aures  
ejus



*ejus pervenerant dixissent: Tum ex his unus, nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quae tibi relata sunt, praeter quae de te locuturi eramus, lusus & jocus fuisset; tam urbana crapulae excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram Regis convertit in risum.*

*Sed ne vestra humanitate ac benevolentia in attendendo, tantum exemplorum cumulum adducendo, abuti videar, reliquas consimiles Historias ex alijs petendas vestrae diligentiae relinquo. Quamvis suis cultoribus adferat Utilitatem, ut & contra contemptoribus Inutilitatem, pauculis jam descripturus.*

*Ornatur autem haec Virtus amplissimis praemijs, neque tantum temporalibus, verum etiam aeternis: Mansuetos enim Deus exaltavit in salutem, his dabit Gratiam. Per hanc homo gloriam animae suae conciliare debet: Hos beatos pronunciat Christus inquit: Matth. 5. Beati Mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Quae verba, & quae Benedictio si vel sola extaret in sacra Scriptura, quis quae vel non ejus gratiam solum, hanc summam Virtutem praestaret, ejusque usum gauderet? Haec enim verba explicans ac exponens Regius Psalmista, Psal. 36. inquit: Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et praecleara Nazianzeni sunt verba, quum inquit: Si scis te habere nervos reprehensione dignos, utaris tu quoque Mansuetudine, nam Misericordia ponderat apud Deum, prodestque Mansuetudo Publicae & Privatae tranquillitati.*



Quoniam autem contraria juxta se posita melius elucescunt. Iram, immoderatam tanquam, huic Virtuti è diametro oppositam, paucis expendemus. Hanc animos mortalium percellere, & non duntaxat Privata, verum etiam Publica societati nocere, quis ibit inficias? Quid enim aliud, quam furor, ut ille ait, brevis est? Hujus ardore qui capti sunt, à mente captis quàm ratione differunt? Certè non nisi Tempore: Admit enim illa Rationem, tollit Consiliũ, pervertit Judiciũ, hominem què adeò sui dissimilem reddit, ut meritò de eo dici possit, quantum mutatus ab illo. Nec desunt ejus incommoda talia, quæ hominis dignitatem prorsus deformant, ac bestiis ferè comparant. Ira namque stimulis inflammatũ cor palpitat, tremit corpus, facies ignescit, ardēt oculi, vox est tremula, oratio interrupta, frons in rugas contracta, Asinorũ more calcibus morsibus què insultatio oritur. Imò opes hac ipsa invadit atque perdit, dum simulates movet, excitat jurgia, altercationes & controversias forenses fovet, nobilinos loco impellit, ut vindictæ cupidi, fortunarũ facere jacturã, quàm ignoscere alijs, malint. Unde præterea turba, unde seditiones, tumultus unde, unde bella? nonnè ex Ira atque bile concitatis? Quæ eò esse perniciosior consuevit, quo eos magis invadit, qui à potentiã instructi dominatum in alios gerunt: Quid enim? Nonnè Theodosius, pius aliàs Princeps, Ira incensus, ad Septem hominũ millia Thessalonice trucidare jusfit? Hac inflammatus Alexander, Lysimachum Leoni objecit; Hasta Clytum trajecit, Callistenem mori coëgit.

Et



Et est memorabile comprimis, imò horrendū, quod de Majoracensi quodam Cive, ejusq; Servo Historici referūt: Quum enim servum ille suum gravissimè levem quandam ob causam cecidisset: Irà hic vindictæq; cupiditate inflamatus, heri absente domum clausit, ac matres familias arctius vincit, heri filios tres in editiorem domus partem secum adduxit, domini ibi reditum expectans. Qui domum reversus servo de culmine se ostendenti minari cœpit, quo factò, illicò duos hic filios è tecto præcipites jecit. Quo casu consternatus pater, quum etiam tertio timeret, facti veniam & libertatem servo pollicitus est: At, nihil, hic inquit, efficies, nares oportet tibi præcidas, si tertium filium servare cupis. Acceptat miser conditionem, sed naso jam mutilato tertium cum matre servus è tecto dejecit, tandem etiam seipsum præcipitem dat, ne aliàs dare pœnas cogeretur. Simile de Xanthia muliere legitur, quæ laqueo sese suspendit, parvulum filium à se necatum manu unâ, alterâ facem incensam quâ domum accendit, tenens. Benè itaque à Sapientibus dictum esse videtur: Iracundiam causam cædium, calamitatis sociam, dedecoris matrem, non rarò efficere, ut non cernantur, quæ Sole clariora sunt, percepta obscurentur, corrumpatur cor, non secus atque acetum, diutius ubi fuerit vas corrumpere solet. Hinc Sacra Scriptura stulti iram, gravio- rem Saxo & arenâ onerosâ esse, affirmat.

Sed has omnes Inutilitates facillimè vitare potest homo, si suam tantū imbecillitatem agnoscere studeat. Quum

enim

C B 3




enim animadverterit se ad delinquendum naturâ propen-  
sum, & perspexerit, se neq; remissionem suorum delictorum  
assequi posse, nisi condona verit fratri delicta sua, iram suam  
dubio procul mitigabit, nec se adeò contumacem ac inhumana-  
nū exhibebit: Et quum binas humana anima, tam Aristote-  
lis quàm Platonis sententiâ, partes sortita sit, Rationalem,  
& Rationis expertem; Ergo sicut ex rationali parte omnis  
honorabilis & laudabilis emanat sensus, ita ex irrationali  
affectus proruentes coërcere & ritè domare studebit homo,  
ac morbum hunc pestilentissimum obvium quodq; ut ignis  
objectam materiam, corrumpentem reprimere debet. Si e-  
nim in animum irruerit cuncta permiscet, & quæ superio-  
ra erant, ad infima detrahbit, excacatq; mentis clarissimum  
lumen. Hunc si vitare conantur homines, Rationem, qua  
nihil præstantius, præclarior nihil, nihil Divinius reperiri,  
dici, cogitari vè potest, sequentur. Hæc omnium bonorum fi-  
nem præstantissimum habet communitatem, dignitatem,  
rerum affluentiam, perpetuitatem in justitia & æquitate.  
Hanc si in consilium adhibeant, mortales, si nihil affectibus  
tribuant; facillimè Mansueti evadent, non tamen conte-  
mptentes medicamentum illud saluberrimum, Orationem  
nimirum, quæ (ut Menandro placet) medicina ira optima  
est, regit excandescentiam, impetum cohibet, non secus atq;  
equi ferociores frenis duci ac coërceri solent. Quod quum  
faciunt homines, Suavitates certè incomparabiles, quæ ex  
se progenerat Mater hæc virtutum, Mansuetudo, conse-  
quuntur.



quuntur. Quid autem esse potest Suavius animo pacato, qui  
nemini male cupit, & neminem pertimescit? quid potest ef-  
se dulcius quàm omnium benevolentiam experiri? Qua sin-  
gula, Mansuetudo Virtutum Regina, ex se causatur. O  
summa igitur virtus omnium virtutum Mater, Mansue-  
tudo! O nullo non tempore sectanda, Humanitas! O sem-  
per amplectenda ac exosculanda, Clementia! Sine te vita  
nostra esse non potest, imo sine te homines esse non possumus.

Idcirco quum Mansuetudo Divinitus precipiatur, quum  
in Deo, Christo, alijsq; Sanctis hæc virtus emineat, quum o-  
mnes Generosa natura hac sint prædita, quum sit conjuncta  
cum magnis Utilitatibus, summâ Facilitate, ac suavi-  
tate, tantum profectò, est ejus decus, ut ab omni-  
bus debeat expeti ac desi-  
derari.

D I X I.





# Johannes Resenius Danus.

*Anagramma.*

E RE ANNUIS SENI, DAS, SONUS.

**L**aus est, quando p̄i sequitur vestigia Patris  
Proles, Ingenio, Moribus, Arte, Fide.

Hoc quoq; tu prestas juvenum flos Jane Reseni,  
Æmulus in laudes dum cupis ire Patris.

Ingenij bonitate viges, natura dante sed illud,  
Attamen Eloquio, Moribus, Arte, colis.

Unde quid excellens evadas dico necesse est,  
Egregium Patris lumen ut esse queas.

E RE namq; SENI Patris sic ANNUIS, ingens

DAS genij specimen, dum fluit ore SONUS.

Perge modo, perge & Magnum exhilarare Parentem,

Laus magna est, Patrem prolis honore frui.

Amico suo singulari raptim  
deproperabat.

Magnus Graue Othoniâ Danus.

**I**ngenij specimen primis ostentat ab annis  
Quivis: diversi hinc mores diversa sequuntur.

Hic Venerem laudat, truculenti praelia Martis

Alter: Sed sordent ea ꝛ ANNO: Scripta Sophorum.

Quæ sedant mores, evolvere maxima laus est.

Virtutes tollit commendat & ore disertio.

Gloria, fama, decus multos ut surgat in annos.

Atq; FACE M expectet non frustra patria terra.

Adsi Jova precor, nec non benè cœpta secundet,

In Patriæ laudem, summig; Parentis honorem.

Canutus Alaudanus Neoburgensis Danus.



F 5202


● X 2614202

VO 17

*[Handwritten signature]*











ORATIUNCULA,  
*De*  
Summa virtute  
**MANSUE-**  
**TUDINE.**

Exercitii gratiâ conscripta & habita,

*In*

*Collegio Oratorio praestantissimi & excel-*  
*lentissimi Viri,*

**JACOBI MARTINI, Logices ac**

Phil. Pract: in Academia celeberrima  
ad Albim. P. P.

**JOHANNE JOHANNIS F. RESENIO**

Hafnia-Dano. 15. Maij.

WITTEBERGÆ.

Ex Officina Johannis Richteri.

Anno M. DC. XVI.